impendat. Vere impleta est prophecia que dixit: Cum sancto sanctus eris et cum viro innocenti innocens eris.

11 Nec pretereundum puto qualiter celestis signi visione ipsum etiam voluerit dominus mirificare. Nam in ipsa sollempni die sancti pasce multa fratrum caterva astante dum ipse sacerdos divina celebraret misteria dextera quedam apparuit superna que cum ipsius dextera divina sanctificavit sacramenta. Completis vero missarum sollempniis quidam heilricus presbyter qui eo die cantoris officium agens tanto interfuit miraculo, sequens episcopum usque in cubiculum ad eius pedes cecidit atque in presencia populariurm personarum eandem visionem minus caute explanavit. Cui vir dei: Melius inquit tibi esset tacere quam talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exivit et in vestibulo cubiculi residens tantas lacrimas emisit ut ex illarum suffusione cogeretur lucis huius dispendia sustinere. Vir autem dei memor sue fragilitatis cavebat favorem humane laudis ne caderet in precipitium elacionis, semper gratias agens deo super inenarrabili eius dono. Et sicut de sanctis scriptum est: Ibunt de virtute in virtutem, velut celeste animal ante faciem suam gradiebatur ut eo mente conscenderet quo eum impetus spiritus duceret.

12 Hiis virtutum gradibus ad alta proficiens quadam nocte que antecedebat diem sanctam que diem indulgencie vel cenam domini christiana religio vocare consuevit, vox quedam beato sic ait in visu: Udalrice episcope scias te hodie hospites suscepturum esse. Expergefactus cepit secum admirando tractare qui nam illi hospites potuissent esse. Non enim erat inanis sopor ille qui solet aliquociens hominum mentes illudere, sed talis pocius quali sponsa se dicit iam oris cantico obdormire: Ego inquit dormio et cor meum vigilat. Talis igitur somni dum vir dei frueretur quiete iterum vocem in hec verba meruit audire: Oraciones tue et elemosine Udalrice deo sunt accepte, qui binis antecessoribus tuis Fortunato videlicet atque Adalberoni te commendavit ut tibi hodie et post hinc sacra misteria celebranti assistat et ea tecum benedicant. Mane autem facto hora qua inclitus misteriarches divina sacramenta celebravit, quibusdam etiam qui ad videndum digni erant cernentibus dextera domini denuo apparuit que cum sancto episcopo signum crucis imponendo eadem consecravit. Idem ipsi cum ad percipiendam sacram communionem ad sanctum altare accederet et sciret illos huius secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis dominicum porrexit ori singulorum digitum supposuit ut per hoc intelligerent quod visa minime divulgare deberent. Quibus etiam expleto sacrorum officio ad se vocatis revelati sibi in nocte preterita misterii ordinem exposuit et ut tam hoc quam quod ipsi viderant alicui dicerent donec ille maneret in carne interdixit sub interminacione presentis vite.

13 Alio vero tempore dum iterum sub quadam noctis silencio membra quieti commendaret, beata afra martir facie pulchra veste decora tunica succincta apparuit eique dixit: Surge et sequere me. Et statim eduxit illum in campum qui ex nomine fluminis ibidem decurrentis lechfelt dicitur. Ubi sanctum petrum apostolorum principem velut in sinodali colloquio sedentem invenit cum magna episcoporum aliorumque sanctorum multitudine vel quos olim in carne vidit vel tunc primum revelante sibi gratia divina cognoscere cepit. Ibi inter alia que tractabant, sicut olim in apocalipsi sancti iohannis audita est vox animarum de suis interfectoribus vindictam expetencium, ita tunc clamor ortus est sanctorum de arnolfo duce noricorum adhuc vivente ob destructionem ecclesiarum atque monasteriorum quorum res distribuit in beneficia laicorum. Qua propter dictante omnium sententia sinodali damnatus est pena. Proferebantur in medium etiam enses duo, unus quidem cum capulo, alter autem absque capulo. De quibus princeps apostolorum ait ad beatum virum: Dic regi heinrico ensis absque capulo significat illum qui sine unctione regnat in populo. At alter capulatus illum qui per sacre benedictionis ordinacionem divinitus fuit coronatus. Finito sanctorum concilio predicta dei martir sanctissima monstravit illa adhuc loca in quibus otto rex postea castra posuit et

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 47r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/it/vad/0070/47r)